UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Concl. III. Invalidè confertur Baptismus non exprelsâ, ly Te, aut alijs verbis æquivalentibus, personâ suscipientis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73340

Visual Library

18. De ly *te* eſt major ambiguitas.

Sed major ex dictis oritur ambiguitas circa ly *Te*, quo explicitè ſignificatur perſona baptizanda; enimverò communiſſima hactenùs ſententia docet, illam particulam eſſe de neceſſitate Sacramenti. Scotus ſupra n. 7. *Alia autem duo, ſcilicet actum & ſuſcipientem, neceſſarium eſt exprimi*: agit de neceſſitate Sacramenti (ut patet ex principio illius numeri) & de explicita & directa expreſſione, quam ibidem immediatè ante negat neceſſariam reſpectu miniſtri, cùm tamen etiam hîc implicitè exprimatur, ut oſtendimus.

Tenetur communiſſimè eſſe neceſſarium, *Scotus.*

Subjungit Doctor: *Sed non determinatè eodem modo, quo iſtis verbis* (formæ latinæ) *exprimuntur, ſcilicet actus verbo indicativi modi, & ſuſcipiens pronomine ſecundæ perſonæ: ſed poteſt actus exprimi verbo alterius modi, & ſuſcipiens verbo alterius perſonæ, ut Græci exprimunt.* Hanc ſententiam expreſsè docet Suarius hîc diſp. 21. ſect. 2. concluſ. 3. Franc. Pitigianus diſt. 3. q. 2. a. 4. & alij quamplures, quos citat & ſequitur Dicaſtillo ſupra n. 83.

Saltem in verbo æquivalenti. *Suarez.* *Franc. Pitigianus.* *Dicaſtillo.*

19. Contrarium quidam impreſſerunt & defenderunt,

Contrarium à paucis annis aliqui impreſſerunt & publicè defenderunt. Primus quidem ſub hac forma verborum: *Baptiſmus, Confirmatio, Ordo, videntur validè conferri poſſe non expreſſâ verbis perſonâ ſuſcipientis; v. g. ſi quis dicat: Hic Baptiſmus datur in nomine Patris &c.* Secundus utitur his verbis: *In ea* (forma Baptiſmi) *exprimi ſive ſignificari aliqualiter debent perſona baptizans, baptizanda & actio miniſtri tanquam ab eo procedens; quod ultimum ſi ſufficienter fiat in forma Græcorum, cur non valeat forma latinorum omiſſo ly Te?* Tertius abſolutè aſſerit, veroſimiliter ſufficere tacitam ſive indirectam connotationem perſonæ baptizandæ.

Eo quòd videatur ſufficere indirecta perſonæ baptizandæ connotatio.

Pro qua ſententia ſic poſſet aliquis argumentari: Sufficit indirecta connotatio perſonæ baptizantis per ly *Baptizetur*; ergo etiam ſufficit indirecta connotatio perſonæ baptizandæ per ly *Baptizo*. Nihilominùs inhærendo veſtigijs Doctoris noſtri Subtilis, cum communi ſententia dico:

CONCLUSIO III.

Invalidè confertur Baptiſmus non expreſsâ, ly *Te*, aut alijs verbis æquivalentibus, perſonâ ſuſcipientis.

20. Oppoſitum reſolvitur,

RAtio neceſſitatis (inquit Scotus ſupra) *quòd illa duo ſic, vel ſic exprimerentur, ſumitur ex illo Matth. ultimo*: Baptizantes eos &c. *Vbi exprimitur* (utique diſertis verbis) *actus & ſuſcipiens*, non minùs, quàm invocatio SS. Trinitatis nominibus Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti, quæ (ut videbimus concluſione ſequenti) ex illo loco maximè probatur neceſſaria neceſſitate Sacramenti, prout eum ſemper intellexit univerſalis Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & intellectu Scripturarum.

Ex quo plana redditur reſponſio ad fundamentum novæ illius ſententiæ; equidem non nego, perſonam baptizandam indirectè connotari per ly *Baptizo*; imò etiam directè per ly *Baptizetur* aut *Hic Baptiſmus datur*; ſed aſſero illam connotationem non ſufficere, prout ſufficit connotatio perſonæ baptizantis; tum quia major baptizantis expreſſio non ſignificatur verbis Chriſti Matth. ultimo: *Baptizantes eos* &c. tum propter definitionem Eccleſiæ, approbantis in Concilio Florent. formam Græcorum, in qua tacitè ſolùm connotatur perſona baptizans; expreſſis autem verbis denotatur perſona baptizanda, quando dicitur: *Talis ſervus.*

Et ideo addidi in concluſione: *Aut alijs verbis æquivalentibus*, v. g. *Hunc* vel *Ioannem* vel *Vos* aut *Veſtram dominationem*, etſi tales aulicìſmi in collatione Sacramentorum non ſint liciti, ſed nec graviter peccaminoſi.

21.

Dices cum Auctoribus ſupra citatis: Florentinum nihil aliud exigit, quàm ut exprimatur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum cum SS. Trinitatis invocatione; atqui hoc fit quando dicitur: *Baptizo* vel *Datur hic Baptiſmus in nomine Patris* &c.

Confirmatur ex forma Confirmationis: nam licèt in ordinaria dicatur: *Signo te, Confirmo te* &c. tamen in Ordine Romano antiquo habetur: *Confirmo in nomine Patris* &c. Deinde forma Græcorum eſt hæc: *Signaculum doni Spiritûs Sancti* (ſupple: donatur tibi) ſeu (ut explicat Beſſarion Cardinalis) *Signaculum eſt donationis* (ſupple: quæ per me tibi fit) *Spiritûs Sancti.* Si ergo in hac forma ſatìs exprimitur indirectè perſona confirmanda (cujus equidem expreſſionem æqualiter exigit forma conſueta, ſicut forma Baptiſmi) cur non in altera ſatìs connotatur perſona baptizanda?

22.

Reſpondeo: quia in Scriptura lego: *Baptizantes eos*; non autem: *Confirmantes eos.* Secundò: quia reperio formam Confirmationis à Romana Eccleſia approbatam, & ab Eccleſia Græca uſitatam, in qua diſertis verbis non exprimitur perſona confir-

confirmanda; aſſignent novi illi Doctores hujuſmodì formam Baptiſmi, & jungemus dexteras.

Alioquin dicamus ſufficere hoc verbum; *abſolvo*,

Alioquin cur non valeat abſolutio ſacramentalis ſub hac forma: *Abſolvo* vel *datur hæc abſolutio in nomine Patris* &c? Quemadmodùm enim ratione circumſtantiarum, v. g. ablutionis externæ, quæ fit à miniſtro, ly *Baptizo* ſatìs perfectè & determinatè ſignificat perſonam præſentem, quæ abluitur; ita etiam ratione confeſſionis præmiſſæ determinatur abſolutio per ly *Abſolvo* importata, ad perſonam confeſſam & præſentem. Ut quid igitur ly *Te*, aut particula æquivalens communiter exiſtimatur neceſſaria neceſſitate Sacramenti Pœnitentiæ?

Joan. 20.

Cùm formæ Baptiſmi & abſolutionis ſit par ratio.

Certè non ob aliam rationem, quàm quia Chriſtus Joannis 20. inſtituens hoc Sacramentum, dixit Apoſtolis ſuis verſ. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* &c. Sicuti eiſdem diſcipulis ſuis tradens formam Baptiſmatis, dixerat Matth. ultimo: *Baptizantes eos* &c. oſtendens ſuæ eſſe voluntatis, ut quemadmodùm materia Baptiſmi explicitè & directè, ſecluſis quibuſcumque alijs circumſtantijs, ſignificat ſeu determinat hanc particularem ac individuam perſonam; ita etiam forma expreſſis & directis verbis eandem ut diſtinctam à baptizante exprimeret; prout non exprimit ly *Baptizo* aut *datur hic Baptiſmus*; quia poteſt quilibet ſeipſum lavare & ſibi ipſi dare ablutionem, ſicuti ſeipſum communicat, & ſibi ipſi adminiſtrare poteſt communionem: neque enim datio illa Baptiſmi eſt propria donatio, quæ exigit voluntariam acceptationem donatarij, cujus parvuli incapaces ſunt, ſed adminiſtratio dumtaxat ſeu confectio Sacramenti, quæ ſi Deo placuiſſet non neceſſariò reſpiceret ſuppoſitum diſtinctum, ſicuti de facto ex inſtitutione Chriſti reſpicit.

Cur exprimatur magis perſona baptizanda, quàm baptizans,

23. Cur autem Chriſtus voluerit, ut magìs verbis exprimeretur perſona baptizanda, quàm baptizans, cùm utraque æqualiter concurrat ad ablutionem externam, pænes ipſum eſt. Quis conſiliarius ejus fuit? Si liceat rationem divinorum operum inveſtigare, non incongrua videtur, quia per Baptiſmum perſona baptizanda inſcribitur catalogo fidelium, & recipitur in familiam Chriſti per ſolemnem fidei profeſſionem, quâ conſtituitur debitor non ſolius fidei tantùm, ſed etiam univerſæ legis Chriſti ſervandæ.

Stat pro ratione voluntas Chriſti:

Aſſignatur nihilominùs congruentia.

Accedit, quòd Baptiſmus ex baptizato, & non baptizante, accipit ſuam determinationem ſeu individuationem; ergo ut exprimatur actus in individuo determinatus qui per miniſtrum exercetur, oportet ut verbis exprimatur perſona baptizanda.

Reſpondetur argumento ex Florent. deſumpto,

Ex quo reſpondeo ad argumentum principale deſumptum ex Concilio Florentino, negando minorem; nam, præterquàm quòd nulla fuerit cum Græcis controverſia circa expreſſionem ſuſcipientis, ut conſtat ex formis à Concilio aſſignatis, in quibus perſona baptizanda ſignificatur per ly *Talis ſervus Chriſti*; quamquàm meliùs potuiſſet exprimi, ut notat Scotus ſupra n. 6. nomine proprio: *Non enim* (inquit) *iam ſervus Chriſti baptizatur, ſed baptizatur ut ſit ſervus Chriſti, loquendo de ſervitio ſpirituali, quo Chriſtianus eſt ſervus Chriſti.* 24.

Scotus.

Præter hoc, inquam, non ſatìs apparet, quomodò per ly *Baptizo* aut *Datur hic Baptiſmus*, ſufficienter exprimatur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum, utpote determinatus in individuo ad hanc individuam perſonam, idque diſtinctam à conferente, cùm tamen verba illa indeterminata ſint & indifferentia ad hanc vel illam perſonam, eamdem vel diſtinctam ſignificandam, ut ſtatim oſtendimus.

Cujus argumenti veritas concluderet contra Adverſarios.

Adde, quòd ſi hoc argumentum aliquid probaret, eodem aut ſimili argumento ex eodem loco illius Concilij concluderetur, non eſſe neceſſariam ad valorem explicitam invocationem SS. Trinitatis per nomina Patris, Filij, & Spiritûs ſancti, aut æquivalentia, ſi talia dentur. Patet: quia Concil. Florent. non requirit illa nomina, ſed ſimpliciter Sanctæ Trinitatis invocationem: *Si exprimitur* (inquit) *actus, qui per ipſum miniſtrum exercetur cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Et tamen juxta communem ſententiam, etiam eorum qui huic concluſioni contradicunt, non valet ſi quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*; quamvìs Joannes Poncius ſummæ Theol. diſp. 41. num. 23. aſſerat non poſſe id certò probari. Intellige certitudine fidei; nam quod concorditer docent omnes Theologi ijſdem prorſus innixi fundamentis, non poteſt non eſſe theologicè & moraliter certum. 25.

Florent.

Oſtendens non eſſe neceſſariam explicitam Trinitatis invocationem per nomina Patris &c.

Joannes Poncius.

Neque valet Adverſariorum evaſio.

Reſpondent autem omnes ad Concilium Florent. intelligendum eſſe de invocatione SS. Trinitatis ſecundùm formas Latinorum & Græcorum, quas immediatè ante præmiſerat, in quibus Trinitas exprimitur nominibus Patris, Filij, & Spiritûs ſancti. Similiter & ego reſpondeo per expreſſionem actûs miniſtri,

Concilium intelligere illam, quam præmiſerat in ordinaria forma Eccleſiæ Latinæ & Græcæ, in qua verbo *Te* aut æquivalenti ſignificatur perſona ſuſcipiens.

26. *Qui ſic miniſtraret, certò graviter peccaret.*

Ad minùs itaque Baptiſmus aliter collatus erit dubius, & ſub conditione reiterandus; adeoque graviter peccaminoſus extra neceſſitatem: quod in ſimilibus formis dubijs bene eſt notandum.

Magìs certum eſt, non valere Baptiſmum ſine invocatione SS. Trinitatis; quamvìs hæc in Confirmatione aut alijs Sacramentis (ut proprijs locis videbimus) non ita requiratur. Dubitatur autem, an exprimenda ſit Trinitas nominibus diſtinctis ſingularum perſonarum? Pro reſolutione erit

CONCLUSIO IV.

Forma Baptiſmi eſſentialiter requirit invocationē SS. Trinitatis per diſtincta nomina ſingularum perſonarum.

27. *Invocatio Trinitatis debet fieri per diſtincta nomina perſonarum. Patet ex Scriptura Matth. ult.*

Nil certius eſt, ex communi & perpetuo intellectu illius Scripturæ Matth. ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti*, quàm invocationem SS. Trinitatis eſſe neceſſariam ad valorem hujus Sacramenti, quod ſpecialiter à Sanctis Patribus appellatur Sacramentum fidei; quia externa & ſolemnis ejus profeſſio, cujus præcipuum myſterium eſt Unitas & Trinitas in Divinis, Unitas in eſſentia, Trinitas in perſonis.

Quapropter Concil. Florent. ſupra diſtinguens inter verba eſſentialia & non eſſentialia: *Si exprimitur* (inquit) *actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Ergo à contrario ſenſu, ſi non exprimitur actus cum invocatione Sanctæ Trinitatis, non perficitur Sacramentum.

Et Concilio Florentino.

Dubitas autem, quibus verbis oporteat SS. Trinitatem invocare? Conſule formam in eodem Concil. præſcriptam, & certiſſimè ſcias, quoniam nomina Patris, Filij, & Spiritûs ſancti ſufficientiſſima ſunt. Sed numquid eſſentialia?

28. Quibuſdam Hæreticis placuit baptizare in morte Domini: ſed hic Baptiſmus reprobatur can. 49. aliàs 50. Apoſtolorum, & refertur de conſecrat. diſt. 4. cap. 79. *Si quis Presbyter aut Epiſcopus non trinam merſionem unius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in Baptiſmate (quod dari à quibuſdam iubetur in morte Domini) deponatur. Non enim dixit nobis Dominus: In morte mea baptizate; ſed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti.*

Baptiſmus in morte Domini collatus reprobatur can. 49. Apoſtolorum;

Alijs viſum fuit conferre Baptiſmum in nomine Domini, quos refutat Pelagius Papa ſcribens Gaudentio Epiſcopo in hæc verba (habentur de Conſec. diſt. 4. c. 30.) *Si reverà hi de hæreticis, qui in locis tuæ dilectioni vicinis commorari dicuntur, ſolummodò ſe in nomine Domini baptizatos fuiſſe forſitan confitentur, ſine cuiuſq; dubitationis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* Ergo ex mente hujus Pontificis non ſolùm illicitus, ſed etiam invalidus fuerat ille Baptiſmus; alioquin ſacrilegè præciperet eos rebaptizari.

Pelagius Papa. Ut etiam collatus in nomine Domini,

29. *Idem Pelag. Vel nomine ſolius Chriſti.*

Eodem modo intelligo quod ſcribit idem Pelagius eidem Gaudentio Epiſcopo de Baptiſmate dato in nomine ſolius Chriſti, c. 82. de conſec. diſt. 4. *Multi* (inquit) *ſunt, qui in nomine ſolummodò Chriſti, unâ etiam merſione ſe aſſerunt baptizare. Euangelicum verò præceptum ipſo Deo & Domino Salvatore noſtro Ieſu Chriſto tradente nos admonet in nomine Trinitatis, trinâ etiam merſione ſanctum Baptiſma unicuique tribuere, dicente Domino diſcipulis ſuis: Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris &c.*

Et quamvìs non addat taliter baptizatos eſſe rebaptizandos; credo equidem eſſe rebaptizandos ſaltem ſub conditione, quia abſque dubio præceptum divinum, quod in illis verbis allegatur, concernit non quidem trinam merſionem (ut oſtendi Sect. præced. concluſ. 8.) ſed invocationem SS. Trinitatis per diſtincta ſingularum perſonarum nomina; quippe nomen Chriſti diſtinguitur hîc & opponitur nomini Trinitatis, cùm tamen in Chriſti nomine Trinitas implicitè invocetur, ut ſtatim videbimus. Porro præceptum divinum non videtur datum niſi de eſſentialibus Sacramenti: nam accidentalia reliquit Chriſtus diſpoſitioni ſuæ Eccleſiæ, ut diximus agentes de materia & forma eſſentiali Sacramentorum, diſput. præced. ſect. 3. concluſ. 4.

30. *Confirmatur ex cap. 83. de conſec. diſt. 4.*

Confirmatur ex cap. 83. ejuſdem diſtinctionis, quod eſt Zachariæ Papæ ad Bonifacium Epiſcopum in epiſtola, cujus initium: *Sacris liminibus*, in qua ſic ſcribit Pontifex: *In ſynodo Anglorum decretum, & iudicium firmiſſimè præceptum & diligenter demonſtratum eſſe dignoſcitur, ut quicumque ſine invocatione Trinitatis merſus fuiſſet, Sacramentum regenerationis non haberet. Quod omninò verum eſt: quia ſi lotus in fonte Baptiſmatis*

quis